

tituenda est res ablata, vel saltem illius aequalens, ut aequalitas iterum vigeat. In ceteris vero virtutibus, peracta laesione, non permanet per se motivum quod talis virtus respiciebat. Ita, si quis tenebatur ex caritate ad succurrendum proximo in extrema necessitate posito, nec succurrit, peccavit quidem, sed non perseverat per se motivum honestatis quod ipsum ad tale auxilium dandum obligabat. Nam, cessante necessitate extrema, proximus jam non indiget, saltem necessario, sublevatione negata. Per accidens quidem potest hoc caritatis officium perdurare una cum necessitate: obligatio vero tunc minime implenda est ratione damni illati et per modum restitutionis, sed eadem ratione ac si nunc primum necessitas inciperet. (Lugo, de Just. et J. disp. 1 n. 52) Quod applicandum est etiam justitiae legali et distributivae: his enim violatis, non urget illa obligatio restituendae aequalitatis, siquidem nullius jus strictum laesum vel res ablata est. Quandoque tamen iniquus distributor officiorum obiter jus strictum laedit et consequenter ad illud restituendum obligatur. Cfr. n. 515.

Praeceptum restitutionis esse grave, dummodo de reparanda notabili juris laesione agatur, per se liquet. Ideo ei qui ad eam faciendam in re notabili obligatur, necessaria ad salutem est voluntas seria et efficax restituendi ablatum. Attamen si, parte quadam restituta, reliquum jam non efficit materiam gravem, obligatio levis evadit. Exemplo sit ille qui operario abstulisset salarium diurnum 3 francorum eique dimidium fr. restitueret.

Duae autem restitutionis radices communiter assignantur, nempe *res accepta et injusta acceptio*. Prior radix proprie locum obtinet quando aliquis sine peccato aliquid alienum habet, ex. gr. vestem quam bona fide a fure emit vel pro veste sua abstulit; posterior autem habetur quando aliquis injuste detinet rem quam novit esse alienam vel eadem alium privavit, etiamsi nullum emolumentum inde perceperit, ex. gr. ubi alienam domum incendit. Injusta igitur acceptio late accipitur pro quacumque damnificatione, etiam sine utilitate laedentis (Lugo, disp. 8. n. 25)

Discrimen magnum viget quoad quantitatem restituendam, prout obligatio ex priore vel ex posteriore radice oritur. Ubi detinetur res aliena sine injusta laesione, aequalitas restituetur dummodo res illa domino suo reddatur. Ubi vero injustum damnum illatum erit, aequalitas restituenda exiget ut injuste laesus recuperet quidquid detrimenti ex illa injuria passus est, saltem quatenus detrimentum hoc illatum est cum iis condicionibus quae Cap. seq. elucidabuntur. Hinc non sufficiet reddere pretium rei ablatae, sed insuper reparanda erunt omnia damna ex hac ablatione secuta et saltem in confuso praevisa, ut declarabitur n. 518.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE OB INJUSTAM ACCEPTIIONEM.

512. Ut ex injusta acceptione seu damnificatione oriatur obligatio restituendi, requiruntur tres condiciones: 1^a Ut actio (vel omissio actionis debita) adverteretur justitiae commutativae; — 2^a ut sit causa efficax damni realiter secuti; — 3^a ut includat culpam theologicam seu formale peccatum. De singulis his condicionibus agendum est.

§ I. DE PRIMA CONDICIONE: UT ACTIO SIT INJUSTA.

513. Ratio hujus condicionis liquet ex iis quae supra (n. 511) de restitutionis notione dicta sunt. Oportet igitur: 1^o Ut actio spoliaret alterum bono ad quod habeat jus strictum in re vel ad rem. — 2^o Ut agens non habuerit jus hoc bonum auferendi: nemini enim injuriam facit qui utitur jure suo. (Marres, l. 2. n. 50)

QUAER. I. Num contra justitiam commutativam peccet et consequenter ad restitutionem teneatur qui inculpabiliter damni causam posuit, et, cum posset impedire, sequelas damnosas impedire omisit.

RESP. Affirmative. Nam, sicut ex justitia prohibemur ne actione nostra alteri noceamus, ita etiam tenemur prohibere ne actio nostra alteri noceat quamdiu ejus efficacia in nostra potestate remanet. Attamen, quia causae damnificantis positio minus voluntaria est, haec obligatio non est tanta quanta oritur ex actione formaliter injusta, ideoque non urget cum incommodo relative gravi. Quare, si falsum crimen alicui ex inadvertentia vel errore adscripseris, non teneris ad verba retractanda cum gravi propriae existimationis detrimento; si ferculum venenatum apposueris Caio et is illud Titio prope assidenti tradiderit, non teneris Titium monere si id citra grave periculum facere nequis. (Lugo, disp. 8. n. 86; Gury, l. n. 662; Lehm. I. n. 969; D'Annib. II. n. 233; Ball. P. n. 122)

Hinc patet quid statuendum sit de viatore qui imprudentia non graviter culpabili ignem silvae apposuerit, de pharmacopola qui clienti ex errore venenum pro medicina praeberit, de possessore rei alienae qui eam ex inadvertentia alteri donaverit, etc. Hi omnes si neglegunt, cum sine incommodo relative gravi id possent, damnosas harum actionum

suarum sequelas impedire, tenentur ad compensandum totum damnum quod adhuc impedire potuissent.

514. QUAER. II. Num violet justitiam commutativam et ad restituendum teneatur qui impedit alium a bono quodam consequendo quod nondum possidet, puta munere, hereditate, etc.

RESP. 1^o Affirmative, si ille qui ita impeditur *jus strictum* ad illud bonum habeat. In hoc casu parum refert quaenam media adhibeantur: nam injustitia tunc committitur ratione rei in qua vel ad quam *jus strictum* habetur. Exemplum habes in herede qui, etiam meris precibus, tabellionem, qui ex officio mandantis negotia gerere debeat, induceret ad testamentum in favorem tertii non conscribendum.

2^o Affirmative etiam, quotienscumque *media de se injusta*, ex. gr. metus vel fraudes, efficaciter adhibentur ad impediendum alium ne consequatur bonum ad quod *jus sive strictum, sive latum* habet. Is enim saltem *jus strictum* habet ne mediis injustis a consecutione hujus boni impediatur. Ita ad restitutionem teneretur mercator qui alium, litteras ab eo datas intercipiendo, a luero faciendo impediret. Cfr. n. 530. Excipiendus foret ab illa restituendi obligatione is qui alterum, etiam metu vel fraudibus, impediret a consequendo bono quod dari vel accipi per se sine peccato nequiret. Exemplo sit uxor quae maritum fraudibus a prodiga donatione facienda averteret.

3^o Negative, quotienscumque deest tum *jus strictum*, tum *medium de se injustum*, ut per se patet, ex. gr. quando quis precibus testatorem ab aliquo herede conscribendo avertit. Cfr. Lehm. I. n. 973 seqq.; Marres, l. 2. n. 51 seqq.

515. QUAER. III. Num justitiam commutativam violet iniquus officiorum distributor.

RESP. Dupliciter *jus strictum* laedere potest qui in officiis, beneficiis, muneribus publicis distribuendis, personarum acceptionem committit. Videlicet:

1^o *Jus strictum* quod *societas* habet ne munera indignis conferantur: ad quod *jus servandum* per quasi-contractum se obligat qui hoc officium distribuendi suscipit. Quare tenebitur ad reparanda damna quae saltem confuse praevideat inferri posse ab indignis quos nominavit, sive communitati qua tali, sive singulis civibus quorum negotia indigni propter munus suum gerere debeant. Ita debet communitati restituere stipendium quod accipit indignus: istud enim communitas censenda est dare nolle nisi iis qui digni sint. (Ball. P. tr. 8. p. 1. n. 47)

2^o *Jus strictum dignioris* ad hoc munus consequendum. Hoc autem *jus digniori* competit tantum, quando candidatis promittitur, sub onerosa condicione, fore ut dignior eligatur. Exemplum habes in concursibus qui instituuntur ea condicione ut qui optimum fecerit librum, statuum, etc., praemio donetur.

Juxta sententiam communem, quando beneficia ecclesiastica per concursum conferuntur, eligens dignum, omisso digniore, tenetur huic damnum compensare; non desunt tamen AA. graves qui hanc obligationem compensandi negant, quia non constat de hoc jure stricto quod digniori ab beneficia acquisitum sit, licet certo incumbat episcopo obligatio illud digniori conferendi ad bonum commune Ecclesiae procurandum. Hanc sententiam quam prius probabilem censuerat, S. Alph. in retractat. suis (q. 47) rejicit; dubius haeret Lehm. (n. 972 in nota) In nostra regione quaestio practica non est. Nam certum est nullum *jus strictum* alicui ad determinatum munus acquiri e concursibus generalibus qui, in nostris dioecesibus, instituuntur ad scientiam cleri probandam. Disputatio igitur supradicta unice procedit de iis concursibus qui, juxta legem Tridentinam, pro *singulis* paroeciis vacantibus instituendi essent. (Sess. 24. de ref. c. 18)

§ 2. DE SECUNDA CONDICIONE: UT ACTIO SIT CAUSA EFFICAX DAMNI REALITER SECUTI.

516. Manifesta est ratio ob quam illa condicio requiritur: nam si damnum nullum illatum est, nihil est quod reparetur; si autem deest nexus verae causalitatis inter actionem et damnum, istud agenti imputari nequit, sed potius tribuendum est aliis causis quae ex illa actione occasionem sumpserunt hoc damnum producendi.

Ideo nulla est obligatio restituendi: 1^o si voluntas nocendi mere interna fuit, vel prodiit quidem in actum externum, sed qui effectum nullatenus obtinere potuerit, ex. gr. si ille qui obligationes Status furari intendebat, chartam nullius valoris subripuit; — 2^o si nullum damnum ex injuria secutum est, ex. gr. si committitur adulterium occultum e quo nulla proles nascatur; — 3^o si damnum sequitur ex actione tamquam ex causa mere occasionali, seu per accidens. Tales enim causae non sunt ex natura sua aptae ad effectum producendum. Exemplum causae occasionalis habes in homicidio quod, a Petro commissum, Paulo, ob alia jam antea patrata scelera, imputatur: damnum Paulo, ex errore judicis occasione hujus homicidii ortum, Petrus reparare non debet. Excipiendus tamen foret casus quo Petrus de industria eligeret illas circumstantias quae moraliter habiturae essent proximum influxum in

falsam imputationem homicidii, puta si Pauli vestibus indueretur vel armis uteretur ad homicidium patrandum, si easdem vestes sanguine foedatas in Pauli domum projiceret, etc. (S. Alph. n. 635; Gury. I. n. 669) Exemplum causae per accidens praebet furtum exigui valoris quod avaro causa gravis morbi fiat : cum desit probabilis conexio inter furtum leve gravemque morbum, fur hujus aegritudinis damna compensare non tenetur. (Marres, l. c. nn. 53, 55)

Licet de his generalibus principiis satis conveniat, saepe in praxi difficile est discernere quanam causae *per se*, quanam *occasionales* aut per accidens dicendae sint. Hinc necesse est quasdam speciales quaestiones examinare.

517. QUAER. I. Num restitutionis obligatio oriatur ex actione quae ex se non habet probabilem conexionem cum damno secuto, sed quae ponitur cum *directa intentione* ut illud sequatur.

RESP. Duplex datur sententia probabilis. Prior obligationem affirmat : ita Lugo (disp. 8. n. 73 seqq.), Ball. P. (n. 115), etc. Rationem afferunt, quod " quando accedit intentio determinata illius effectus, et ex ea intentione ponitur causa ut sequatur ille effectus, haec intentio supplet conexionem, et facit quod effectus sit voluntarius operanti : facit enim quod sit vera causa illius. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis. ", (Lugo, l. c. n. 75) Posterior negat restituendi obligationem : ita Lessius (l. 2. c. 9. n. 113). S. Alph. (n. 636), Lehm. (I. n. 979), Marres (l. c. n. 54), etc. Ratione ista nituntur : intentio illa interna nullatenus mutat actionem externam quae manet quod de se est, mera occasio vel causa per accidens damni. Hinc non externe, sed interne tantum peccabitur contra caritatem vel etiam contra justitiam, ex. gr. desiderando alii in bonis vel fama nocere. *Practice* igitur non constat de obligatione reparandi *actionis consecraria* :

1° Si Petrus furtum aliudve scelus committit, diserte intendens ut Paulus propter hoc delictum poena plectatur, nisi (ut supra dictum est) tales circumstantias ex industria elegerit ut iudices prudenter Paulum delicti auctorem habere debuerint.

2° Si fur modicam summam avaro eripit, intendens ut propter illam jacturam in gravem morbum incidat.

3° Si quis ponit venenum in angulo cubiculi sui aliove loco per quem rarissime transit ipsius inimicus, cupiens ut, si transeat venenumque sumat, moriatur.

QUAER. II. Num teneatur ad restitutionem qui alium pravo exemplo suo ad damnum inferendum impulit.

RESP. Probabilius ad reparandum damnum quod alii intulerunt non tenetur, dummodo absit conspiratio. Ita S. Alph. n. 537, cum sententia communi. Ratio est : exemplum pravum non tendere per se ad alios excitandos ut damnum simile inferant. Hoc autem, ex dictis ad Quaest. 1^{am}, procedit non tantum quando aliquis praevidet mali exempli sui efficaciam, sed etiam quando eam intendit. Quidam, tamen, ut Billuart (de Jure et Just. Diss. 8. a. 13. § 3), contradicunt eo quod exemplum pravum dantes, quod praevideant efficax fore, ponant actionem e qua probabiliter secutura sit injusta damnificatio ab aliis exercenda : siquidem experientia constat homines exemplis moveri magis quam verbis.

§ 3. DE TERTIA CONDICIONE : UT DETUR CULPA THEOLOGICA.

518. NOTIONES. Culpa e qua damnum procedere potest, distinguitur duplex : *theologica* et *juridica*.

Theologica culpa idem sonat ac peccatum formale ; eam igitur remouet quidquid a peccato formali excusat, puta ignorantia, inadvertentia, vis, etc. Nullum ergo damnum theologice culpabile esse potest quin, saltem in confuso, praevisum fuerit.

Juridica culpa consistit in omissione illius diligentiae quam leges civiles in singulis materiis adhiberi jubent. Plerumque intellegitur *mere* juridica seu quam nulla theologica culpa comitetur.

Solent quoque antiquiores AA. culpam juridicam dispescere in *latam*, *levem* et *levissimam*. His tamen verbis non omnes idem intendebant, nec multum refert ea satis obscura distinctio ad forum conscientiae. Cfr. Gousset, Th. Mor. I. n. 925.

ASSERTA. I. Secluso contractu quo quis se obligarit ad compensandum damnum e culpa juridica vel casu fortuito oriundum, non datur obligatio restitutionis, ante sententiam iudicis, nisi e culpa theologica. Nam ubi deest actus humanus, cum plena advertentia et libertate positus, homo damnum inferens potius causis necessariis quam liberis assimilatur ideoque, spectato saltem solo jure naturae, non est obligandus ut de talium actionum sequelis respondeat. Damnum autem quod sine culpa theologica infertur, ex. gr. ab ebrio, amente, distracto, potius infortunio quam injustae damnificationi tribuendum est. (Lehm. I. n. 963)

Reparanda tamen sunt, tamquam indirecte voluntaria, damna in ebrietate illata, quando ipsa ebrietas voluntaria fuit et praevisum damnum, puta quia ebriosus novit se in hoc statu talia nocumenta inferre solere. (n. 187)